



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Scholirii Antverpiensis Diogenes Cynicvs Sive
Sermonvm Familiarivm Liber III.**

Scholier, Pieter

Antverpiae, 1635

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70514)



X

III

2

Pa. 6025

6025
III

III
乙

PETRI SCHOLIRII
ANTVERPIENSIS
DIOGENES
CYNICVS
SIVE
SERMONVM
FAMILIARIVM
LIBER III.



ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXV.

PETRI SCHOLARUM
ANTWERPENSIS
DIOCESEOS
CYNICVS
SIVE
SERMONVM
FAMILIARIVM
LITTE III



ANTWERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORTIER
M. DC. XXXV.

AMPLISSIMO
DOMINO
PETRO ROSE
SANCTIORIS CONSILII
PRÆSIDI.

Hispida, quò properas, operosaq; sente
Thalia,

Futilis & titulis inuidiosa tuis?

Mentis inops, nescis teneri fastidia mundi:

Crede mihi, poteris tutius esse domi.

Illa refert: Soboli si non prohibebis honorem,

Iudice naturâ debita spina Rosa.

Præsides exculci fulgens rosa floribus horti;

Est q; satellitibus sentibus aspra suis.

*Vir tricor Austriaci FERNANDI præsidet
aulâ;*

Præsidio dignus, præsidiumq; viro:

Laudibus auersus, rigidusq; aspredine veri;

Nominis indicio, robore, odore, rosa.

A 2

Mitte

4
Mitte satellitio functuram huc vsque Thalam,
Et tua sollicito pectora solue metu.
Armat spina rosas: flori sua spina decori est:
Contemnunt spinas vt fugiente rosâ.
His ego pacatus dumos tibi dedico nostros,
Strenue Vir, vepribus praesidium esse velis.
Si rosa per latum spatium diffundat odores,
Cur non vicinis sentibus afflet humi?
Si rosa sit tanti, caput vt corroboret; imos
Cur non fomentet sustineatq; pedes?
Incolumem te sic in saecula seruet Apollo;
Candida purpureis sis Rosa mista Rosis.
Praesideas felix, & sint te praeside, Praeses,
Principis & populi res meliore loco.



PETRI

PETRI SCHOLIRII
P R O
D I O G E N E
C Y N I C O
A P O L O G I A.



Edere temporibus , fato parere lu-
benter,
Et simulare loco , prudentis dixe-
rat esse,
Inter præcipuos hodiernis moribus
Auctor.

Adspiro dictis , salebrisque dicacibus vltro
Vitatis resipisco , & me virtutibus aulæ
Pumico , & vrbani salibus festiuus oberros
Assurrecturus non infimus omine palpo.
Iamque reseruatis pigmentatisque parergis
Pagina turgescit , phaleratis versibus apta
Humanos captare Ioues , recludere Diuüm
Atria , & accessus sine velo Semideorum.
Inteream , calamo si quid mellitius optem.
Quippe faginari Magnatum sæpè videbar
Ipse mihi mensis ; promissis crescere Regum
Haud dubiis , magnosq; inter strepitare Ministros.

A 3

Nec

Nee spes ipse meas capio, consistere plantis
 Nescio, & insolitis, dum vado, passibus vtor.
 Vox diuersa sonat, pando verba effero rictu,
 In leuitate grauis, leuis in grauitate; perinde
 Ac si per biduum fortunæ filius essem.
 Inter maiores fungi paritate paratus,
 Despectare pares, de me pluraliter ipso
 Fari, & hyperbolicè, & temerè: Nos iussimus ista:
 Nos ita consilium dedimus: nos Regia legit:
 Nos æstum tulimus populi: nos poma natamus.
 Sed nihil inuitis possis contendere diuis.
 Fabula longa quidem, memorabilis attamen, inter
 Fatales hominum casus & digna notari.

Est locus in fundo postremo Louaniensi;
 Quem Pater æternus, primarum in limine rerum,
 Collibus, & vallis, & flumine cinxit vtrunque:
 Interiùs domus est Musis, & Apollinis aula.
 Partibus in binis sacrata cacumina surgunt:
 Hac (latuit Cæsar quâ quondam Iulius arce)
 Castrum antiquum, ingens, non expugnabile telis:
 Immunis circum patriæ dat munera Bacchus,
 Pomona Ausoniæ fructus: viridantia moris
 (Spem lucri ingentis) albis hîc vidimus arua.
 Parte aliâ cultis æstiuâ palatia Tempe;
 Antiqui dixere Placet, seruantque minores
 Nomen, quòd domino placuisse libidine quondã
 Deliciis horti genium oblectasse ferantur.
 In facie magis ad læuam gratissima odore
 Siluula; parte cauâ penitus iucunda vireta,
 Arboribus circum proceris consita multis.
 Pantheon excelsis signatum quale columnis
 Visitur introitu Romæ, sub limine tali

Antrum

Antrum Musarum ; radiis micat insuper aureis
 Cynthus , optatis zephyrus cui murmurat auris.
 Myrteus in medio torus , atque sedilia circum
 Læmina , quæ violis , quæque intertextæ hyacin-
 this :

Quo lætis aptare solent modulamina plectris
 Sicelides , Stephanus quæ & ferre recentia Cam-
 pus.

Hic spatiabar ego ; sed in ipsis mœnibus vrbs,
 Nescio quid meditans , serâ iam luce , solutus
 Fetibus arboreis , & amœnæ flatibus auræ.

Cum procul intueor duplicatis passibus illac
 Aduentare senem , strepitant quâ parte Camœnæ.

Forma viro sed maior erat , similisque Deorum ;

Si quando humanâ lustrant sub imagine terras.

Dextra subit baculum : talari candor amictu :

Pera latus cingit : redimitur tempora quercu.

Hæreo , Gymnasij num sit reuerentia specto ,

Aut aliquod numen Doctoris fortè sepulti ;

Ore renidenti propior cum multa prementem

Talibus aggreditur dictis : Desistere cœptis

In satyrâ , vitis est conuiuere : mehercle

Sperabam melius. Quid amœnis collibus erras ,

Inter delicias faciles , pomaria , vites ?

Inter Hamadryadas non est tua gloria : Chloris ,

Vtilis vt vulgo , non tam pretiosa Poëtis.

Abdere se testis , fisso vel cortice lignum

Inferere , & succos alieno quærere alumno ,

Indultum est aliis : Cereris modò regia parua est :

Vertendum est aliò : nec enim cultoribus agri

Tempus eget : meliore geras te falce colonum.

Hic ego , & attonitus , suffusus & ora rubore :

Haud equidem tanto (sed imagine luderis istā
 Indubiè) venerande senex, me dignor honore.
 Nam, licet in mores calamos distinximus olim,
 Erroresque hominum: sunt qui feliciter aiunt;
 Non tamen hoc iterū vellem me includere ludo.
 Si quis enim nostris (& quis non?) læditur œstris:
 Actutum populis, atri me sanguinis ater
 Insimulat, facilesque hominum mihi commodat
 iras:

Et citò peccauit qui non metuendus, & exfors,
 Læsus vt offensas per opera retaliet vñquam.
 Sed cui noster honos, morum & curuamina curæ,
 O quem te memorem? Magnis spectabar Athenis,
 Arte canis, quondam: nunc sedibus esse beatis
 Moribus obtinui, solidique latratibus oris.
 Tunc ego ter conor, totidem mimesibus, imos
 Urbanè prensare pedes, surasque seniles.
 Ter negat attingi: & nasum, non immemor, ille
 Crispat, inumbratis illudere moribus aulae.
 Tūne, inquam, flectendo genu, celeberrimus ille
 Actiux Antistes satyræ; chrysendetha Regum
 Non veritus ridere extorris, seruus, inanis,
 Erector morum, vnius virtutis auarus,
 Et mihi tollatur, sapientum, scrupulus, alpha?
 Instat, agam secum pro libertate Poëtæ.
 In laus alterutrum detortus lumina pergo.
 Diceris (ignoscas) hominem Titane supremo
 In medio plantasse foro. Scurriliter actum,
 Prostibulis, clamant, qui nocte dieque vagantur:
 Nec potui obscenæ reperire leuamina culpæ.
 Tum Cynicus: Vitiis, Venere indignante, nefandis
 Impar est nostri populi quodcumque pudenter

Non

Non feci ; vel me volui fecisse putari:
 Nam si communi lex & natura iubebat
 Lasciure bono , tantum pudor obstiterit mi:
 Ingenuus : potuit meliori fine moneri.
 Nota fuit nostri mens nostra sagacibus æui.
 Nam verba & voces, & quæ scribuntur, inanes
 Dixerat ingenij , popularis censor , ofellas:
 Acrior & nobis fuit oppugnanda libido:
 Argumentari viuacius ergo tenebar.
 Quid refert videas quod aperto noueris esse?
 Disputat Elysiis mecum Lucilius agris
 De satyræ pretio , nonnumquam in collibus ipsis;
 Nempe Deas inter. Pro me sententia Diuum,
 Qui satyram vixi ; scribens , minus egit, acerbè,
 Prima fides oculis , non auribus esse putatur.
 Dicebar Cynicus , quando oblatrare volebam
 Moribus obliquis populi : ridebar ab ipsis
 Principibus , qui se, post paullum , pollice nostro
 Fingendos dederunt, & me fleuere cadentem.
 Sed , velut hoc æui , qui sunt in honore supini,
 Hercule vel dextro, vel Marte, vel arte leuati,
 Id sibi permittunt , re vel sermonibus ortis,
 Quòd nolint ratione premi ; constanter in omnes
 Vrgent propositum, quamuis sine pondere norint
 Sæpè quod occipiunt: populo sic, tempore nostro,
 Gratia magna sui , fuit inque solentia maior:
 Tota stupebat enim vitio immutabilis ætas.
 Exemplis præeo , monitisque reduco benignis,
 Et ratione premo ; nolunt ratione cieri:
 Vrgent propositum ; quin deteriora sequuntur.
 Tunc cæpi inuitas mordaci radere vero
 Auriculas , secui totam tunc morsibus urbem,

Sustinuique canis pro externo ciue vocari.
 Non sequor ad mensas, non vlli iactito caudam:
 Allatro dumtaxat, vitæ tamen integer, omnes.
 Magnus Alexander solitus cum patre Philippo,
 Iam dicteriolis ad dolia nostra iocari,
 Casibus insolitis iam nostram arcessere mentem,
 Tam mea suspexit, tam me vehementer amauit,
 Vt nostras habitare casas, populoque latrare,
 Pallia quin baculo voluisset & addere peram,
 Magnus Alexander nisi cognitus orbe fuisset.
 Non tamen vrgebo te viuere more canino:
 Tempora mutantur: satis est committere chartæ,
 Aure vaporatâ quibus indulgere Potestas
 Gestiat, & curuis quæ opponi moribus optet.
 Principis opprobrium non æquis auribus haurit
 Princeps, aduersas sibi vt improbet ire phalanges.
 Omne, liquet, numen sub numine læditur vno.
 Quos Deus Heroes, fratres fortuna putauit:
 Commisere quibus, nobis incognita iura,
 Respondenda sibi: plaudat sapienter vtrunque
 Quisque suis, dictis iuuat, armis, ære, fauore.
 Verba olim nocitura caue: nunc prælia miscent,
 Fœdere fraterno coituri cras, Iouis acti
 Imperiis; hominum obnixè scelere antè piato,
 Ceu luis indomitæ causâ. Queis libera, longa,
 Formidanda manus, parcas natura docebit.
 Incidat in laqueos magni moliminis vllus,
 Consciis ipse sibi? nihil hac in parte labores.
 Sit titulus nouus, antiquus, merus, aut benefictus;
 Siq; Periscelidis sit Eques, seu Velleris aurei,
 Alitis aut sacri, Cruciger, sit grandior ipso
 Grandi; nec casu hoc sibi parceret summa Potestas.
 Nemo

Nemo adeò viuit vitiis obnoxius , vt non
 Communi ferulæ submissas præbeat aures.
 Aedepol immerito fulgebit honore, proteruis
 Si quis adhuc pedicas diuellere moribus audet.
 Et quoniam Heroum duplex natura : minori
 Si quid adhuc restat satyræ populabile limâ;
 Parte sui meliore , Dei vestigia seruant.
 Hinc inculpatæ stat eis fiducia vitæ:
 Et populi nasos Maiestas ridet inertes.
 Nos meritò Regum scimus cum piscibus esse
 Consilia , atque aliâ regimen librare bilance,
 Quàm rude vulgus amat : nos, illi, credere fidunt;
 Quidquid agunt Reges , populi spectare salutem.
 Nec dubium , se lege sciunt hac esse creatos.
 Hæc de Principibus. Qui proximitate sequuntur,
 Et quasi conformes ouo nascuntur eodem,
 Vera est Nobilitas , fragrans virtute , benignis
 Moribus , & nitidis gaudet fauisse Poëtis.
 Præterea sunt qui Regum dominantur in aulis,
 Præsidioque valent , celebres Heliconis alumni;
 Quorum vera præest ratio , & prudentia factis.
 Hos face dignamur , prisca si lucis egebunt,
 Nobiliumque choris adscribimus. Auxiliares
 Inde tibi , si forsit opus , desumere vires
 Semper oportunum fraterno iure , minaces,
 In malè versantes quouis velamine, ronchos.
 Sunt modò qui quondam nebulas Helicone le-
 gebant;
 Notis maiores aut qui nituntur haberi:
 Quive volunt , quia munus habent , nimis esse
 ministri:
 Ingenio pingues plerumque, & naris obesæ:

Grassando obsequio Magnis, nunc rebus agendis
 Prospiciunt patriæ, nunc multa sine ordine cla-
 mant:

Nunc hoc nunc illud populariter arbitrantur:
 Se sibi gratantur, summâ vix pelle decori,
 Cùm Diis iratis viuant, genioque sinistro.
 Quantum nugarum, & rationis adulteræ, vbique
 Inter eos, mora longa, vacet nec vatibus vllis
 Dicere membratim, nec erit res digna relatu.
 Acribus, his, fateor, mos oggannire Poëtis;
 Et præferre suas, prætenso tempore, curas,
 Vnde salus patriæ, quasi nullus carminis vsus
 Militiæ quondam toto orbe domive fuisset:
 Maxima ferre animæ nunc Regum opprobria
 dignæ,

Et multas post fata Erebi consumere pœnas.
 Denique si quis adhuc nebulonum regulus aulas
 Lambit, & inuerso ostendat conuitia plectro
 Versibus esse tuis; exerto vertice, tantum
 Huic, linguæ fitiens quantum canis Apula, prome.
 Gratus erit toti populo, pleneque satisfidet
 Quisquam, cùm placeat nec Iuppiter omnibus?
 æqua

Sufficit ad plausum selecta per ora statera.
 Aetherei vates: arcu quis verberet æther;
 Spicula in auctorem redeunt. Te verbero culpet?
 Ipuenies, vel erit nullis maioribus ortus,
 Rege vel illuso merito promotus emaci,
 Aut sciolus nugax, atque ambitione profanus.
 Macte animis, calamosque moue. Te gymnæ-
 das acres

Exercere iterum Parnassi curia mandat.

Stringe,

Stringe, dola, ferias, vras, ita iussit Apollo.
 Sic fatus, tacuit. Quo possum Marte reluctor,
 Fungor & extremis. Annalibus eruta priscis
 Multum plausibili coquitur mihi massa camino,
 Utile epos domino; quo subdola necto alienis
 Stemmata stemmatibus, ramosque interfero ramis:
 Huic caput, huic caudam leuo, do, noua con-
 do vetustis,

Mutuo, compono, confundo falsa meracis:
 Mentior audacter, tollo super astra, marito,
 Comparo, & optatis praesentia numina verbis
 Palpando veneror: me tempero tempori. Aman-
 tur

Artifices calami: nec me felicior alter,
 Si sit in aspectum mihi fas educere fetum.
 Ille manu mulcens spatiosam ad pectora barbam,
 Librantesque oculos paullum tellure moratus;
 Auctoramento, Claro, Ducibusque teneris
 Militiae caelestis, ait: quae signa sequaris
 Hos penes arbitrium est; inuita nemo Minerua
 Postulet accingi: pro saeclo & viribus arma,
 Qui nos, plus nobis, Superi nouere, ministrant.
 Ipse Pater, sacris vatum qui praesidet armis,
 Splendeat, aut medicet, canter, venetur, ametve,
 Occidat, aut surgat, pharetratus obambulat: ille
 Ipse tibi nostro assignat Pater ore sagittas,
 Orbe nouo Pythona quibus molemque vapo-
 rum

Diffidit: humores iubet impugnare malignos
 Te mundi senio; cicuresque ferofque dracones
 Figere, coenosis hominum conatibus ortos.
 Parce tibi, patriaeque tuae, si te timor arguit;

Me scenæ adducas, & suggillentur Athenæ.

Vnus ab antiquo naturæ vultus in orbe est:

Sæpè & diuersis res vna coincidit æuis.

Nil vltra: tenues agilis decessit in auras.

Quid mihi tunc animi potuit calamité fuisse,

Dicite Pierides: pugnant noua vota, Deusque:

Et cupio, & nequeo, mihi nunc seruire, Deo
nunc.

Spéne cadam tantâ? emoriar. Phœbône resistam?

Dat mihi quodcumque hoc oris. Placet illa, vel
iste,

Deficiunt ad cœpta manus. Sed vincite, Diui;

Sic voluistis enim: mea meque adscribite fatis.

In partes venias operis director. Ineptum,

Criticus exclamat: pol pol, Biante relicto

Laudetur Cynicus? Noli me Critice nugis

Perturbare tuis. Si ideas iacto Platonis,

Surget Aristoteles? crepitem paradoxa Fieni;

Nonnius obmisset? placuit si concio Gaudæ;

An mihi vel meritò Patrum succenseat vllus?

Non ego de capite vllius diadema reuello.

Sume tibi Septem, vel totam Porticum; apertos

Concedo campos: genio meus utilis isto

Stat mihi laudandus satyrarum robore Primas.

Democritus risit: fleuit contrarius auctor:

Dignus vterque cedro: sed quid profecerit vltra,

Non video, quàm quòd memorandum emblemata
remanfit.

Quid precor ad Cynicum, qui caustica moribus
adfert,

Atque salutari medicatur vulnera linguâ?

Prodit Aristippus doctus variare colores,

Si

Si quis adulatoris habet defendere causam.
 Viuat Aristippus, nostras concurrat ad aulas;
 Nonne fame miserè, nisi discat multa, peribit?
 Inuenies multos hac tempestate Platones;
 Dantur Aristoteles: nam quæ non atria abundant
 Magna sophis? ex incessu cognoscere possis.
 Dantur Anaximenes: Periandros vendo minoris:
 Dantur Aristippi: Cynofargis ianua clausa est:
 Mentio nulla virum. Perit cum Antisthene Cra-
 tes,

Infra qui humanam cum auderent viuere sortem,
 Et latrare sui circum præcordia ciuis
 Vtiliter, veri sæcli pecuarij, odori
 Plus sibi, quam reliquis, supra vixisse, fatemur,
 Sortem hominis. Exemplar cur non imitabile?
 dicam.

Aut quia difficile est Cynicorum more latrare;
 Ireprehensibili vel opinor viuimus æuo;
 Aut prohibent prauis, si magni, praua notari.
 Sed quid ego? Sacris audimus nonne cathedris
 Sæpe salutari sacros baubarier ore?

Aure repurgatâ verum quis colligit escas
 Sedulus, aut veri custos, imitator honesti?
 Quis bonus in verâ pernoctat simplicitate?
 Vrsus, aper, pardus discunt parere lupatis;
 Non rationi homines: ad nulla pudenda rubere
 Erudiunt frontem, vitiisque senescere gaudent.
 Ergo secabit hydram, quisquis sermonis acerbi
 Conaturus erit gladiis defigere culpas.

Vincere desperet, sed contendisse decorum est.
 Et quoniam Deus ora mouet sub nare caninâ,
 Rite Deum, nareque sequar; spatiumque solutis
 Tentabo

16 PETR. SCHOL. APOL. PRO DIOG. CYN.
Tentabo nigrum vitio præfigere theta.
Parcant morboſi. Et quamuis Parnaffe reſiſtas
Inuidiis hominum, ſuperesque cacumine nubes:
Sunt tamen vrbanae & comes, offendere nolint
Virgineæ mentes; velut hîc palpare recuſant.
Palantes homines paſſim, & rationis egentes,
Quando in præcipiti vitium ſtat, pace bonorum,
Deſpectari iterum, non indignabitur hoſtis.



PETRI

PETRI SCHOLIRII
ANTVERPIENSIS
DIOGENES
CYNICVS.



Vm face quò properas, Cynice, ist-
hoc sole supremo?
Quæro homines, inquit. Quid
Cosmus hic, ille Camertes,
Andromachus, Messala, Elpenor,
Maltha, Panurgus,
Fusidius, Bassus? Bipedes ostendis asellos,
Simiolos aulæ, Circaeo verberare porcos,
Et simulacra hominum variarum corde ferarum.
Cæcutis calue: appositis vtare specillis.
Hunc veteres auia commendant, Semideorum
Hunc fauor: & quamuis modicus fit originis ille,
Institor est multæ sapientiæ, & antefendus
Maiestate auri quod possidet: impetuosus
Ille sui vindex, mordaci hic lotus aceto.
Quo te constituam luco? Mordere caue vltra:
Vapulet vt canis, inueniet nam occasio fustem.
Obbrutescit homo: ast odium parit vncia veri.
Ad statuam meo. Tiberinis obrutus vndis
Multa coaxauit Pasquinus. Cogitur vllus,
Vltra quàm possit vitio stimulante tacere?

Nec

Nec Phalaris terret: memori me deferat aula,
 Obuia palponi qui dirigit omnia penna,
 Ne vel hili duco: vexet sua quemque petigo.
 Quid mea? abest perâ mucor: peto dolia, ab aula
 Si me præcipitet quisquam: neglecto Philippos,
 Rideo Alexandros, & fastus calco Platonum.
 Vnius Iouis imperio trepidabimus: illi
 In nos æternæ vitæque necisque potestas.
 Sunt fauor, ortus, opes, spumosa & cortice pingui:
 Virtuti inuitendum: hic murus æneus esto.
 Desipit interdum multis quicumque seorsum
 Multa sapit: maneat virtus sine corpore nomen,
 Ingeniis hominum quæ se vel captibus effert.
 Me docilem sisto. Sed tu qui moribus istis
 Crederis esse canis vitiosus morsibus, oro
 Pignora des hominis, meque in tua dogmata fir-
 mes

Abdita, & hunc animis errorem detrahe nostris.
 Me Cynicâ dignere rotâ, placitisque: nec, vt scis,
 Nascimur artifices: neque tu mirere, quòd omnes
 Surgentes vasto Oceano dilabimur vndæ.

Fluctibus aduersis Nasicæ ducere cymbam,
 Vna potens ratio est; corruptis moribus intus
 Quæ latrat, vtrices opponens Numinis iras.
 Sed lenociniis, rapimurque philautiâ, abundans
 In nobis quamuis Deus, & cautela parentum.
 O miseri! ô homines! in quantis Cimmeriorum
 Versamur tenebris, quantâ caligine mentis!
 Nitimur vt vitium tamen emendare, specillis
 Vtimur intinctis, affectus nempe colore,
 Sortis, & ætatis: crystallo noscere purâ
 Vera bona affectant pauci: per vitra iuuentæ

Cuncta

Cuncta virent viridis, senio quæcumq; nigrescunt:
 Aetas quæ media est, affectibus oblita multis;
 Sanguineis modò, nunc ocularibus vitur aureis,
 Et modò liuidulis, interdum murice tinctis;
 Nunc his, nunc illis, sed vbique cupidine plenis.
 Irus & à Cræso speculis dissentit, vt æger
 A sano, rudis à docto, à popularibus heros.
 Vtimur ante-oculis pro conditione, vel annis;
 Sed species alias veris referentibus. Eheu
 Perfido in Oceano quis fida specilla requirat!
 Cui tamen est sincera acies, cui libera menti
 Irradiat ratio, perque admirabile rete;
 Hic sanus mundo illudet toto organo, & omnes
 Affectus hominis facili depressent ausu.

Principio vt morbos euites, γῶντι σεαυτὸν.

Quid sit homo inquiras. Deus est sub imagine
 parua;

Sepositâ ratione, fera. Egrediatur ab aluo,
 In freta & in terras ius est, & in æthera natum
 Nudo & mortali: cui tandem animantia parent
 Cetera, naturæ arbitrio se commoda præbent
 Pabula, & assiduis famulantur motibus astra.
 O homo diuinâ si possis sistere formâ!
 O Deus humanâ quoties temerande figurâ!
 Estne operæ pretium rationi obuertere mentem,
 Quâ necis immunis, nullo & delebilis igne es,
 Quâ Deus in terris, Superis post fata cohæres?
 Hæc mihi concedis, quia non potuere negari.
 Accipe, & ipse homines rationis quære lucernâ.
 Inuenies homines hominis vix nomine dignos:
 Inuenies tantæ solùm vestigia formæ.
 Sum rigidus? quacumque voles te verte, videbis
 Cornua,

Cornua, rostra, iugas, armos, caudasque torosque:
 Percipies fremitus, gannire, rugire, boare:
 Tanges cum setis squamas, & frigus & æstum.
 Aestuat hic Drances, turget natalibus ille:
 Hic tumet ingenio, canit ille Simonidis ore:
 Hic asinus portans mysteria, sæpè tribunal
 Ille argentatis expugnat nequiter hastis.
 Tu mirere supercilium, mentemque sagacem
 Cordatorum hominum: sed scenâ gesticulantes
 Reges esse putas, gallatoresque gigantes.
 Humanæ simul ac vrgetur tessera mentis,
 Et cribres ratione hominum molimina; poscas

Per- *Quid sumus: & quidnam victuri gignimur: ordo*
fus. Quis datus: & metæ quàm mollis flexus & vnda.
 Pro me pugnabis pugnis & calcibus: eccos;
 Audi, quid primis referas è cœtibus. Heus tu,
 Quid sumus? Infans? Deus est in vtroque pa-
 rente.

Salve Diuorum soboles. Respondeat alter:
 Quid sumus? Heroes. Muni tua scuta coronis.
 Quid sumus? Heroum centesimus arbore ramus.
 Vade pari passu cum præcedentibus. Et tu,
 Quid sumus? Inclusus latet istâ Iuppiter arcâ.
 Et genus & formam regina pecunia donat.
 Quid sumus? Imperij titulo quocumque ministri.
 Ansam fortunæ pro conditione tenetis.
 Quid sumus? Historici, Vates, promoti in vtro-
 que.
 Scrinia doctrinæ, fateor, miracula mundi.
 Quid sumus? Expallet, quoties ego nominor,
 hostis.
 Deaurandum te Rex feriat, vel pectora signet.

Hoc

Hoc fumus : vlteriùs nisi Scipio somniet vllus.
 Hoc homo bulla fumus ? Satis est: attollite caudas
 Sordipedes Iunonis aues. Sine vindice constat
 Quid fumus. *Et quidnam victuri gignimur ?* Ohe
 Pingue vel ingenium denodet. Crescat ad vnguem
 Inuestis , Cypriæ spargatur floribus aulæ,
 Sit leuior Tipulâ , bibat , & canat , & sonet aptè ;
 Idalios superet , sit Pindarus ore trilingui:
 Per quidquid Deus est , Iouis ille potentia ; totum
 Quare per Elysium. Numquid Cythereia virgo ?
 Mox puero lepores cursu frangantur anhelò:
 His vegetet neruos : tum nauiter arripiendum
 Quidquid ad optatæ perducit commoda vitæ:
 Nempe struantur opes ausu quocumque vel astu,
 Ni patre sis Cræso ; simul obtineantur honores.
 Esse potestatem , titulis præcellere multos ;
 Tota hinc libertas , popularis & aura resultat:
 Inde quies vitæ ; multis genialiter annis
 Sub Cereris cultu quam qui Patrisque Lyæi
 Fecunda extendunt Iunone aut Cypride sani,
 Ad quod victuri gignuntur , munus adimplent.
 Sic apis , & vulpes , elephas , formica , leo , sus.
 Hoc fumus : hoc etiam victuri gignimur. *Ordo*
Quis datus ? Aedepol hic rebus feliciter actis,
 Lasciuire iterùm festis epulisque Deorum:
 Atque illic vario Iunonem , Pallada , Martem,
 Mercurium , Cererem & Bacchû sermone morari ;
 Et narrare Iouis furta exuperantia furta,
 Quæ Cytherea Deos celauerat hæctenus ipsos:
 Et celebrata nouis facibus connubia , quæque
 Prothea defigant simulandi mille figuras:
 Extenuare odium Troiæ pro mœnibus olim
 Quod

Quod fouere Dij, & cum proditiōibus iras,
 Quas exercemus nunc ingeniosius orbe,
 Quam veteres inter se Dij potuere recocti.
 Quodque magis stupeant Superum consortia, cæli
 Non curant operas homines, nec egere videntur.
 Numina constituunt passim, & se mutuò adorant.
 Gloria quæ surget, referenti talia, cælo?
 Maxima; dicetur nam sus docuisse Mineruam.
 Hoc sumus, hoc etiam victuri gignimur, ordo
 Hic datus. Ast *meta quàm mollis flexus & vnda?*
 Scilicet est verum: mors sceptrâ ligonibus æquat:
 Mistâ senum ac iuuenum descentur funera; fortis
 Nec prior imbelli est: hinc momentanea quæ
 mors

Mille modis leti nos tota atate fatiget?
 Non persuadebis quamuis persuaseris. Atqui
 Elicias citius; fugitiua vt gaudia carpas,
 Dum licet, indulgens genio. Cùm sis breuis æui,
 Scribitur hora tibi, quâ tu solatia differs:
 Fabula mox fiet, & manes. Ergo bibamus
 Ante focum, si frigus erit: stet mensa, sodales,
 Mens hilaris, cum bellâ cantatrice: fruamur
 Quo natura, Deus, nos & fortuna beavit.
 Hoc sumus, hoc etiam victuri gignimur, ordo
 Hic datus, & *metæ sine curâ flexus & vnda.*
 Viuite lurcones, comedones, viuite ventres;
 Aut, sultis, viles Epicuri de grege porci.
 Hic lateat ratio? diuinæ hæc tessera mentis?
 Sic hominum sermo est. Mentiris. Cede duello
 Inciuile animal. Refert quis se exprimat ore,
 Cùm facinus viuat, si re, si dixerit ausu?
 Nil ita quàm ratio mortalibus errat in vdo;

Nil

Nil minùs obseruant: seruam venerantur ad vsus,
 Nituntur dominam cohibere celeusmate iuncto.
 Carcere secludunt & cannabe subdolâ, aluntque
 Cortice siluestri. Deus, aut mihi dicite Musæ,
 Quæ ratio, quòd nec ratio nos seruet ab ictu,
 Nec mediet ratio: nã hæc munera vestra, Puellæ.
 Ipsa, aies, ratio; sed non exulta. Quiesce.
 Vos ego compello, quibus irrorare iuuentæ
 Mentibus incumbit sacras cum moribus artes.
 Quæ caussa abscessus, tantive occasio morbi?
 Respondent: Sanos dimisimus. Ergo aliunde
 Suppeditate rogo. Melius non discere sæpè
 Ingenuas artes, quàm non perdiscere, credunt.
 Sidera culpantur, sæclum, contagio belli.
 Ridiculum. Pueros multi præclara minantes
 A formâ ingenui deturbauere parentes,
 Plurima dum primæ inculcant præpostera curæ;
 Quando vetant rasis inscribi sacra tabellis,
 Quando negant aptos fingendis moribus annos,
 Quando negant solis formari pectora Musis.
 Educat indulgens nunc pænè paterculus omnis
 Ad specimen tantum natos: sine Numine multi;
 Nempe impollutis deferri pauca Camœnis:
 Sic obiter multi, quasi sit sine Numine Numen.
 Hinc ea prima mali labes, hinc fons & origo
 Tot generum vitis corrupti protinus æui.
 Quos video pueros cum libertate vagari,
 Esse coërcendos sub virgâ pluribus annis
 Autumor, Aonidumque iugis sine fine rotandos;
 Ventum erit, æternum spectans cum Pythagorei
 Grammaticis ad biuium, quò inuadant Herculis ore
 Molle voluptatis spectrum virtutis amore.

Crede

Crede mihi, primos sibi testa reseruat odores,
 Percipies genitor cum damno dedecus, vltro
 Quod sese reteget; digitisque in pectine iunctis,
 Attollensque oculos positâ caligine, tandem
 Illacrymans dices: Quò me meus abstulit error!
 Non veto, curriculo studiorum ritè peracto,
 Vfibus externis quæ concomitantia alumnum
 Exercere meum: iure hæc moralibus addo.
 Doctus & experiens euadat, per mare currat,
 Per terras, mores hominum cognoscat, & vrbes;
 Tergora per gyros sudantia lasset equorum,
 Sectetur lepores, & tendat retia ceruis,
 Ad numeros saltet, quin scloppis eminus vti,
 Et iaculo, & pharetris, & discat cominus ense;
 Pingere, nare, loqui, & digitos cum voce mouere:
 Siquid ad ornatum & iuuenum solatia restat
 Præterea, extremis iubeo gustare labellis;
 Tempore nequa sibi immeritò putet esse negata.
 Plurima cum primâ refecantur friuola barbâ,
 Plenè cum sacris qui lallauere Puellis.
 Hos transcribe tibi de te metuenda Virago:
 His confide tuas quascumque, Philippe, cohortes;
 Militiæve domive illis date munia Reges.
 Armis consilium, ceu consilio arma requiro.
 Maiorum libet hîc quorundam scita referre.
 Turpe laboriferis benè natos credere Musis;
 Quos sua nobilitas, & centum millia census
 Seuocat ad maius. Tantùm mihi filius vnus,
 Omnibus Vraniis, Melda, irascentibus, inquit,
 Vnica qui matrisque suæ patrisque voluptas,
 Obtundendus erit, consumendusque Camœnis
 Vilibus, vt vilis sit mercenarius vnquam,

Aut

Aut legat, aut scribat, legumve ænigmata soluat,
 Ceu dominus Doctor, qui multâ abnormis in arte?
 Nil solidi. Ignoscat vestra Excellentia: vellem
 Nobilium studiis, quæ non de pane lucrando,
 Immaturus adhuc bello, rebûsve gerendis,
 Se puer exiguis vacuisque impenderet horis,
 Otia ne prauâ temerent rubigine sensus.
 Non, adipiscendis, propriè, quod honoribus aptû,
 Speque pecuniolæ quod sit, studium voco (constet
 Semper magnorum reuerentiâ in arte virorum)
 Sed quod perpetuis arcet velamina curis,
 Supplantatque animo appositum quodcumque fe-
 rinum est,

Noctes atque dies secretam garrit ad aurem:

Quid sumus? & quidnam victuri gignimur, ordo Per-

Quis datus, & meta quàm mollis flexus & vnda? sus.

Iurare vnus quis nos in verba magistri

Urgeat? ad metam studiis non tendimus vnam.

Sunt quæ delectent, nostris quædam vsibus errant:

Hic data libertas: animum formantia nemo

Euadat, nisi qui filuis alimenta requirat.

Detinuit multos numeris animosa Poësis:

Iudice si vulgo studium sit inutile, saltem

Segregat à vulgo, conceptibus imbuit altis,

Recreat ingenuos, illuminat, occupat, ornat.

Certa Mathematicæ iaciat fundamenta: quauis,

Nec minor est virtus, eluditur arte Cupido:

Circino & interdum prodest occasio. Cælum

Scrutetur cum sideribus, motusque, polosque:

Præter ephemeridas quidquam latet arte sub istâ:

Aut vacet historiis: discat generosa, suisque

Tempora temporibus diu præcedentia nectat:

B

Quò

Quò valeat populi rector moderare futura.
 Indaget rerum causas, elementaque discat
 Corporis humani, quibus organa nostra mouentur
 Spiritibus, quâ parte animæ vitæque facultas.
 Voluat Aristotelem quo de virtute locutus
 Codice, & impuris pueros à moribus arcet:
 Quo duce se vincat: de se victoria magna est.
 Vimina flectuntur facili conamine, non sic
 Robora siluarum. Quem mauis elige cultum:
 Pro cuiusque patent, in diuersissima, mente
 Atria Musarum: nec enim fecundior aula.
 Ille vorat libros, qui non sapit. Ipse fatebor:
 Ut qui deliciis farcitur, macrior & fit;
 Sed vitio stomachi. Sententia callida. Pergit:
 Ingenio sapimus, paritur doctrina labore,
 Discrepat à docto prudens. Quis cetera nescit?
 Non hoc deteritur Musis sua gratia; crescit.
 Fertilis vt merito campus renouatur aratro,
 Fitque rotis adamas, speculumque labore nitescit,
 Naturæque bonum euadit pretiosius arte:
 Sic puer, ingenij, cathedræ qui accommodat aures,
 Augmentatque sui pretium, sapientior exit,
 Inter & æquales præuertitur axe citato.
 Sicut & incultis lolium subnascitur agris;
 Sic animis iuuenum: quamuis natura ministret
 Robora, natali felix & fulserit astrum.
 Nascitur & vitium & virtus ex semine eodem;
 Scilicet ingenio. Vlteriùs me deinde fatigat
 Nobilitas tanti fundi, tanti que profundi.
 Sed quis inurbanam culturæ lege iuuentam
 Ferre queat, septem edoctam tacuisse per annos,
 Postea pauca loqui, mores vbi cumque notare,
 Et

Et sterilem risus, figentem & lumine terram,
 Nil admirantem, clavisque trabalibus imis
 Affixam studiis, ridentem iubila mundi,
 Et sibi & ærumnosam aliis? Melioribus annis
 Stupratum ingenium tricus apinisque Mineruæ
 Sub rabido spectem cathedrario? inertia magnis
 Quod modo Principibus, cultura nomine præsit?
 Nobilis indoctus, sed cetera factus ad vnguem,
 Audiat abnormis, sciolis vel debeat vllis?
 Inteream, nisi te, communi vindice, natum
 Veruecum in patriâ, crassoque sub aëre credam.
 Melda, satisfeci: noli me ducere in orbem.
 Tunc tuos studiis priuas, quia nobilis ortus?
 Tunc tuos, quos, inquis, amas, quia nobilis ortus,
 Nobilis & locuples? Orbari prole mereris:
 Orbari; scelus est; orbari prole mereris.
 Sed quid ego? miseros amplectere simie natos:
 Præ stolido affectu vesanius ipse necabis.
 Nunc tecum, innocuos tua qui deliria vafre
 Coniicis in pullos, alienos collibus atque
 Fontibus Aonidum quos dicis: nec puerorum
 Esse resistendum genio, speciosius addis.
 Quamuis iurato metuam tibi credere testi,
 Auribus haud quidquam puto dulcius esse tenellis,
 Exuperent quam quo latebras rudioris ephēbi.
 Si non sponte suâ Pimplæa ad tesqua feratur
 Filiolus, præstans alioqui, & sub Ioue natus;
 Conducendus erit, captandus, sæpè monendus,
 Cogendus leuiter. Quid patre astutius ipso,
 Si velit, in prolis moderamine? friuola res est,
 Quos studiis priuas, iuuenum allegare teporem.
 Nil verbi. Vacat interdum? fac surgere natum,

B 2

Dum

Dum vocat auroram gallus : nec amicula Musis
 Maior , nec potior , iuuenum , dea culta , saluti.
 Temporibus , prima extuderit fastidia , stratis
 Sponte suâ euolitet ; vultu si quando Camœnis
 Incipiet propiore loqui : nec tempora posco
 Longa , mares animos puerili in corpore cernes.
 Nescis , alme pater , quid sollicitudine paruâ
 His teneris præstes normæque capacibus annis:
 Quod neque cum Attalicis , Cyniræ neque mutet
 aceruis.

Hac iterum generas , sed diâ matre , valebit
 Fors quæ immortalem per strenua reddere pro-
 lem.

Contristatur homo , quia vita breuissima : cessat
 Præcipuo spatio. Nos , cum edormiuimus annos,
 Non Deus in culpâ est , nos nos contraximus æuû.
 Hac ætate scias uti , longissima meta est.
 Hæc patefactura est , solidis exercita Musis,
 Securum virtutis iter ; custolque futuri,
 Ne qua intercipiat vitium momenta , docebit
 Dilatare suam per sedula tempora vitam.
 Sed sine nos tenebris contentos viuere nostris,
 Parnassumque colant alij. Sunt rustica proles,
 Cerdonum soboles , & si qui nobilitatis
 Degeneres animi : studiorum messis inescet
 Hoc genus & pueros , habilesque ad lucra parentes.
 Audite ô Reges : cum nato aduerte Philippe:
 Sic opicæ debes tua munia nobilitati.
 Progenies scandat cerdonum anabathra ; colit se
 Nobilitas stiuæ. Stiuæ ? sed & indiget armis
 Maiestas. Graphicè. sectare gregarus arma
 Sub duce mechanico , qui te plus nouerit ; & te
 Circum-

Circumeant barrum longa experientia & anni,
 Ne sis militiae remora irreparabilis; aut si
 Praeficiare rudis, castrorum infamia: tandem
 Post culpam, & culpam, ipsius destructio Regis.
 Sed quantò, generose parens, generose puelle,
 Quantò sit melius primis incumbere curis?
 Vtilius mentem igniculis accendere, castra
 Obseruare libris? Quid commentaria Iuli,
 Quid Titus, & Florus, Maro, vel dictauit Ho-
 merus;
 Quid Tacitus, Seneca, & Lipsi documenta re-
 signent,
 Quis caluisse potes, didicisse & militis artem?
 Nam licet indigeat patris, post dicta, Gradiui
 Tiro rudimentis, & adhuc ars distet ab arte;
 Rubricam tamen auxilio est duxisse: recurrunt
 Actutum vt species, se amplectitur vtraq; Pallas.
 Sic tua nobilitas Regum praefulgeat armis:
 Cui reliquis paribus primi debentur honores,
 Non aliter, vel tota perit fiducia belli.
 Ad summam: pater es, Pirenisque accola; natus,
 Sideris impulsu, nullis, fatove sinistro
 Propendet studiis, refragaturque labori;
 Lotum gustauit, per inania sparsit ocellos.
 Corripe, persuade, monitisque regatur amicis.
 Impetus est virtus iuuenili in corpore. Nohit.
 Si cubito trudat, si perpetudine perpes,
 Tergique versatur monitis, curisque patentum,
 Conscendat quò fors; astu det vela secundo,
 Sidere Mercurij, vel Martis: quod sibi ferò
 Imputet: inuitum nemo seruare laboret:
 Inuitis canibus nemo venabitur. Auri

Da centum oculis, & viuere cum Ioue tendat.
 Rara quidem, si detur, auis, non cedere natos
 A teneris patribus. Nugæ. Me iudice, summa
 In senibus culpa est; malè vel præeuntibus illos,
 Vel minùs attentis: non est quòd sidera culpent.
 Quæ quondam antiquis, eadem patet omnibus
 & nunc

Semita virtutis; nec erat via tutior illis,
 Quàm foret hoc æui. Quid stas? an scilicet hæres?
 Pone malum coruum; mala nos supponimus oua.
 Inuenio quibus hæc penitus mea dogmata cordi:
 Sed paucos. Discunt, sed non perdiscere curant
 Maxima pars iuuenum; nebulæque Helicone le-
 guntur,

Quas mox praua suo natura tepore resoluit.
 Melda iuuentutem quæ vitæ elementa docebit?
 Prima salutandi Reges forma atque Tetrarchas:
 Excipere intrantes comi grauitate, secunda.
 Nosse viros aulæ; quo quisque loco, genitore,
 Munere, diuitiis: iuxta quæ, poplite flexo
 Plus minùs, effari resupino callida naso.
 Quando valedicunt, an ad atria, limina, rhedas
 Educent, vel non: quo ritu quemque, modoque:
 Quando licet verbis non affectantibus uti:
 Cui cedat proprio curru mensæve: secundo
 Quippe gradu, aut vltra distanti, dedecus esset.
 Vertice quando iuuet nudo, stantemque maneres;
 Roboris hoc magni est: & ne obliuiscar, ad vllas
 Litterulas dictans, intus curabit, & extrà,
 Ne se signando, contaminet, inferiori.
 Hæc in nobilibus putat esse potissima scitu,
 Corpora diuersis modò sint vegetata palæstris,

Melda:

Melida : sed hinc oritur quædam intolerantia mo-
rum,

Fomes & inuidiæ; quatiuntur sæpè parentum
Stemmata. Si qua fides obseruatoribus olim,
Aut datur historiis, talem officio mutilabis,
Qui melior te fit (verbis vulgaribus vtar)
Qui clàm siue palàm regeret conuitia forti
Expressa arbusto, & vitam indigabit auorum,
Longè aliam, quàm fortè putet malè cauta iu-
uentus.

Ille tacet magè limatus; sed protinus ambo
Hos cuitandos, armentaqué bucera credunt.
Nil etenim toto naturâ odiosius orbe est,
Obseruare adeò quàm qualia qualibus. Vfu
Quoad opus est discunt homines seruare decorū,
Quæ licuere sacris, senibus, primoribus aulae,
Ridiculum est reliquos imitari velle minores;
Inter Abydenos ceu nunc fert ridiculus mos.
Nos, sentire parum de se, iuuenesque docemus,
Atque inculcamus. Culturæ admittimus esse,
Gratiolas, partem; modò, quæ potiora, sequantur,
Et non effluere instiget præsumptio vanos.
Fortius instandum est. Quæ non ratione cauemus,
Vincimus exemplis. Hominem scrutemur ab ouo,
Et variegatas obeant brutalia partes.
Primis fermè annis impellimur immoderato
Flumine naturæ; cuius cedemus habenas
Regibus ætatis, donec iam extensio partium
Extra partes obsirnarit robora mentis.
E mediâ turbâ sed adhuc dictata loquentis
Arripio cirros iuuenis. Quò enanuit ardor
Ille bonæ mentis, quo sese præbuit? vno

Dignatur nunc sacra genu, contermina mensæ,
 Fortè die festo: periit pietate subactâ
 Vnde catorthoma: hinc, modicum exspectes, vi-
 tiorum
 In nemus aufugiet tantò latitantior histrix,
 Quantò spe melior fuit, & seruentior æqui.
 Quid moror? euasit. Prima otia quippe popinæ
 Excipiunt longis foliis; tum, quæ exsecat omni
 Mense duas capiti mercedes, larga Danistæ
 Lautorum in pueros bonitas: hinc luditur anceps
 Alea, & obliquâ temeranda canicula sorte.
 Laidâ nec moueas tali scenâ: ergo fatiscit
 Vndiq; compages animæ; & quot sensibus vna est,
 Tot diuersa patet, scelera in quæcumque, fenestris.
 Ignoscas, puer est; semel insaniuimus omnes.
 Pœnitet. O steriles rerum, respiscitur vniquam?
 Mox crescet vitium specie virtutis; & ille
 Vir magni est cerebri, magno qui potat hiatus:
 Et valet ad casus, & ad omnia munia; quippe
 Quæ non succedunt animante negotia Baccho?
 Quò non inclines blæsum vino & titubantem?
 Iure igitur magnis assuescit ephemia trullis,
 Drechusiique mero sibi lubricat vretes.
 Omnia sic ibant. numquam iuuenilius. Ohe
 Digne melampodio, fatalis nescius vrnæ es?
 Decrepito Lachesis num stamina fida spondit?
 Illudat quid si tibi febris ephemera? si te
 Delicias inter suffocet crassa saliuâ?
 Auriculas aut, esto, tuas draco lamberit; imo
 Sors tua sit fundo; dic, spondeat embolio quid
 Scena cothurnato? de fucis mellea sperem?
 Vre puer filices; viridaria confere nardo;

Velle

Velle librum forulis. Serò sapiunt Phryges. Isthmū
 Cur fodio? Tu detrulla, blandeque conisca,
 Iunices inter prato immorture iuence:
 Aut prius euentu stultorum disce magistro;
 Et te restituant bubones, nodus, egestas.
 His meus Endymion præsentis filius æui
 Exhibet auspiciis pretiosa exordia vitæ.
 Nulla quies; ad equos, gladios, venabula, luctas:
 Et capit, & saltat, spreto ordine, tempore, more.
 Commoda seruitiis & sphaeristeria vexat.
 Post strepitus, post sudores, dum lintea mutat:
 Heus Dromo; laetitias paret in ientacula caupæ:
 Vina recententur: sumus octo: non sibi desit.
 It, redit; accepit mentem: munita culina est.
 Lecta tribus pubes fortè hic exorbitat horis.
 Inde domum. Pater est: gemit ad præsepia natus.
 Incolumi stomacho es? Non expergiscor, onustus,
 Officio. Hæc te sobrietas reddet, pater inquit,
 Immortalem, fax iuuenum. Quæ gaudia! Meldæ
 Crescit aqualiculus largo pede, & obsecrat, vt se
 Non nimium maeret. Genitor, pro more, soporè
 Prandia despumat. Sed puluerulenta struatur
 Cæsaries frugi nato; condixit amicæ.
 Accedat tonfor, sine dropacè, non sine thecâ:
 Nam ferramentis, vt barbula prima trahatur,
 Innumeris opus est: menti alarumque capillos
 Enumeres citius. Dispone, insecte magister;
 Perfoluam: an refert impendas plus minus horam?
 Ridet & irridet tonfor: ferrum admouet igni:
 Dilatat, stringit; nec enim quid forcipe dignum.
 Exhibuit nonò speculum, casiaque perunxit.
 Sufficiat. Tyriâ famuli me cingite lanâ:

Prodeat Hirpinus. Conscendit, loraque stringit;
 Ferratoque premit talo. Latus actus in vnum,
 Pectora surgit equus; spumatque, hinnitque,
 quatitque

Strata viae vngue. Caue caue ne vicinia calcem
 Accipiat. Tandem graditur calonibus implens,
 Quacumque incedit tumidus, bis quinque, plateas.
 Si pater occurrat nato, quæ gloria? Mirum,
 Hac scenâ, Veneres omnes nisi polluat vnus,
 Inter cirratos centum dum circinat urbem.
 Vesper adest; gerras audit, gerrasque reponit,
 Irrequietus adhuc, variis congressibus, inter
 Sæpè pares naturâ, opibus, conatibus, annis;
 Inter maiores cum libertate frequenter.
 Et, velut exornet sua multiloquentia, cultis
 Cœtibus audebit garrere, & materiâ; nec
 Cesset robustis ire in contraria verbis.
 Doctus & experiens cur non putet ista licere?
 Inter eos quamuis tantumdem conuenit; ac si
 Certent cum cygnis vlulæ. Pollentiùs inquam
 Argueret, iustum pro Thaide quando duellum:
 Pallia si lænis, scutulatis rasa minentur:
 Quæ potior sit norma iubæ: quæ cultio barbæ:
 Quæque galericulis sit forma recepta ferendis:
 Quomodo conueniat color iste vel ille puellis:
 Quæ saltu, facie, cantu, sermone decora:
 De leporis, capreæ, turdi viniq̄ue sapore:
 De gradibus, quartis, octauis nobilitatis,
 Iudice femellâ, caliendro & dentibus auctâ.
 Mox inter Chionas, sine reprehensore, petulcis
 Cum focis. Animos. Lubet instaurare popinas
 Largiùs. Ad latus est sua Lesbia cuique. Beatis

Inui-

Inuideant Diui. Genitor domicænia nati
 Non spectat, multum de sobrietate modesti
 Securus iuuenis. Saltem hoc pro laude pacifcor:
 Non quacumque lupâ, non quouis fornice prurit;
 Tantum furtiuâ rapitur corruptor amicâ,
 Atque in delicias vafer est: quin imò vagatur,
 Ut pascalis auis funesta noualibus. Et nunc
 Clandestina Venus passim perhibetur honesta.
 Sed subita inuadit macies: fit lutea pellis;
 Segnities pedibus: prohibent consistere vires:
 Est dolor articulis, miseræque in fronte coronæ.
 Vera lues. Medicum accersi: nam si mora longa,
 Exitium superabit opem. Si culpa subesset,
 Non utique hærerem: sed nulla occasio tibi.
 Nullus ob ancillam stupratam, quæ pudibunda,
 Quæ nolens vult, & lacrymatur, curtior vmquam
 Factus, vel sputet sub Mercurio. Sine curâ
 Prorsus eris; velut attactus si poscis inungi:
 Hoc domitore feram superes in saltibus ipsis.
 Post hac me tutæ seruet trieteris amicæ.
 Parte vteri interdum fiet toga curta solutæ:
 Ecquid consilij? Matertera sciuerit; imis
 Expungar tabulis; pater implacabilis esset.
 Vite, Sabinâ opus est. Cotyledones malè fidæ? ^v
 Tunc à matre rubens sub noctem exponitur in-
 fans,
 Pauperum ad ædiles ut perueniat; vel ut atrox
 Mordius, ableget Campanas vsque nouercas,
 Cum pare vaccarum: scelus expurgandum heca-
 tombe.
 Cinge miser lumbos: quanti mala gaudia consistent,
 Sero docet Nemesis: non hîc sunt aurifodinæ

Proposita nobis gazæ: non illius ergo
 Venimus: in licitas prædas quin dirigit arcum?
 Hæc facer, aut aliquis potuit monuisse sodalis.
 Incipit ergo faces accendere mente iugales,
 Et stabilire domum; pater institit ipse quod ante,
 Sæpè soror patris. Ditissima Iuno Dearum,
 Fidaque connubij præses, fecunda petenti,
 Multiplici sine quâ scateat Cytherea periclo:
 Si formosa tibi, sine particulonibus, heres
 Abditur illustri genere; ad tua numina supplex,
 Non impar propero: solatia lubrica sisto,
 Fortunasque meas cum possessore resigno.
 Annuit: exulta: pro te permittite requirat,
 Diua rotundandis hodie promptissima votis.
 Deïopeia tua est: tantum dignere procari.
 His animum oblectat tacitis sermonibus: utque
 Noëte caput posuit, sibi, somno operante, videtur
 Conformem desideriis duxisse puellam.
 Iamque agit ornando de curru coniugis aureo:
 De pueris, famulis, utensilibusque parandis:
 De canum & accipitrum numero, calorum, &
 equorum.
 Diues, & antiquæ gentis Costa vrbe moratur;
 Moribus & formâ castigatissima nata
 Cui surgit: requies, spes, gloria sola parentum.
 Hanc videt, hanc ardet, petit hanc; patiturque
 repulsam.
 Hoc genus, hi census? sed malo virum ære ca-
 rentem,
 Quam æs viro: & ingenitus gener hac in parte
 fatiscet.
 Præno; capax rerum es, pauper, generosus, onustus
 Prole;

Prole ; sed eximia correptus imagine formæ,
 Meldæ , tuæ natæ , minor est ; sine dote locabis.
 Non me consulto cedit mea filia Meldæ.
 Crescere res paruas , magnas decrefcere vidi.
 Quis pudor aut modus est ? Cum patribus ergo
 bubulcis
 Concertare iuuet , seducere siue puellam.
 Aut cape deformem , aut cassam , aut sine gno-
 mone , vel si
 A furiis oriunda , procis despecta , supersit,
 Quæ vetus exercet Testamentum. Nihil vrges.
 Quotidie quauis sub conditione , locoque,
 Mopso Nisa datur. Rara illi gratia lecto.
 Diuitiis rixæ cedant si & iurgia ? Tum illos,
 Lanigeras inter pecudes , balare iubebo ;
 Et natos natorum & qui nascentur ab illis.
 Hæc pater intendit : spes illa nouissima Meldæ.
 Sed quota pars iuuenum motus infrenum ad illas
 Perueniet tædas ? Veneris contagio multos
 Eripit ad plures ; nullâ medicabilis arte,
 Proposito , aut Nemese : monimenta illusa relictis.
 Assiduis alij dapibus , vinoque sepulti,
 Surgere non meminere magis , stillante catharro:
 Eructant animam , vitamque in limine sistunt.
 Subscribit monitis abstemius aleo nostris,
 Nil commune sibi cum potatore reseruans:
 Nec Veneris pharetris macer est : discrimine paruo
 Multa lucraturus thesauros concipit arcâ.
 Si canis arrabiat , nox sufficit vna paternis
 Censibus ; & superest miserorum viuere fato.
 Hercule si ludat dextro , Rhamnuside natum
 Se putat ; & poscit sibi frena volubilis axis

Infelix Phaëthon; donec temeraria vota,
 Intertimento proprio, cognouerit, & se
 In puris & nudis tristi à numine lusum.
 Illius exemplo trahitur nunc quisque; Monarchâ
 Colludente, domum, qui centum millia, felix,
 Bis quater à Gallis secum asportauit; & inde
 Est circumcisus, Parcâ indignante. Remittit
 Rarò animos, lusu qui se fore credit opimum:
 Rariùs è lusu sibi prædia comparat vllus.
 Hactenus æquali talo: later anguis in herbâ,
 Alea fallaci quoties medicata lauernâ.
 Cùm veteratores, specie integritatis, auitos
 Exsorbent census iuuenum; & præstare recusant,
 Sorte reluctatâ, quæ nomina facta fritillo.
 Tunc adeunt sacros. De lusu nemo tenetur.
 Practica multiplici constans industriâ; at inter
 Acta crumenisecùm nobis dictabitur ista,
 Vulture & Harpyiâ furacior. Hi scelerati
 Talorum fructus. Blasphemiam omitto, furores,
 Quæ & taceam rogitas, inconuenientia mille,
 Miror sæpè solum quòd non retegatur hiatu,
 Deuoret vt magnorum irritamenta Deorum.
 Mutua, & his causis, vel quæ leuioribus orta
 Iurgia, iciuno generosus vindicet ense:
 Aut sedet imbelli maculosa infamia dorso;
 Quæ vetet exactâ consistere Principis aulâ.
 Insano coëunt campo mortaliter ambo
 Sæpè, vel alterius tingendo funere. Vincat
 Ille vel hic, Cadmæa nocet victoria vtrique.
 Restaturatur honos; animæ iactura pusilla est.
 Sed furor exuperans, bruti & manifesta phrenesis,
 In partes rixæ socios accire secundos;

Arma-

Armariq̄ue illos funesta in prælia , sæpè
 Antè sibi ignotos, sæpè arcto sanguine iunctos.
 Ad metas fateor deueni non loqui ; amicè
 Et tutò aut liceat , stimulis prægnantibus , ipsos
 Pertractare Ioues necdum scelera ista perosos.
 Nam quid inhumanum , vel quid tam perditum
 apertis

Quàm certare odiis nullâ genitrice creatis,
 Cum charis , cum cognatis & inire duellum?
 Barbaries verbo est , lex barbara , barbara virtus,
 Barbarus interpres , & barbara gratia Regum:
 Barbara sunt Regum nil proficientia scita.
 Quid? quòd te moueat, Rex inuictissime, verbum
 Ambiguum ; exponas manifestis scepra periclis,
 Demitur ambiguis tibi pes si forsitan aruis;
 Et non commoueat , qui te deridet apertò?
 Ex flagranti homicida seræ committitur : vrget
 Talio : lex viridis : quid consilij ? experiatur
 Ilicò apud Regem , qui tunc fit pluris in aulâ.
 Causa mali , quòd dissuasit Calnortius Acco
 Luderet alucolo , quia linguæ effusior esset.
 Sacra corona , dies fuit hæc miserabilis Acco.
 Multa lacessitus Calnortium ad arma citauit;
 Atque interfecit. Casus fuit vndique purus.
 Rex : Deploro vices iuuenû. Sed in arce superstes:
 Præsidis, haud mea, res. Decuit clementia Reges
 A mundi teneris. Non sunt res ludrica leges.
 Rex supra leges : qui fecit , & abrogat ; idem
 Dispensat. Nulla est quin sit pede regula varo.
 Quis sit , & in quantis lustratus casibus olim,
 Accorum sanguis , pro maiestate tuorum,
 Pro populi rebus , pro libertate , salute,

Eruis

Erris historiis. Reditura occasio verbis
 Pondera det nostris: tantorum auertere mentes
 Nobilium temerè, rigor & res plena pericli est.
 Mortuus ignouit. Demus sua pabula legi:
 Quid precor accedet Calnortî optabile genti?
 Adde, quòd & magnæ libræ, si puniat omnes
 Aequali lex cæca modo, quis cingier ense
 Nobilium se sustineat? quis diriget arma
 Frontibus imperij? quis mœnibus arceat hostem?
 Audiat ignauum pecus hac ditione iuuentus?
 Afficit innumeros fors lamentabilis ista,
 Diuersosque homines, quia nulla potentia nobis
 In primos animi motus. Cum fratribus Acci
 Aeternas inimicitias nutrire, molestum,
 Damnosumque foret Calnortî heredibus: intus
 Non doleant Accij; sed opus seruire decoro:
 Stemmata defunctum nec viuo comparet vllus;
 Ingenio, cultu, fortunâ, gratiâ in aulâ
 In totum minor est. Cecidit? sic fata tulere.
 Deuincire animos modò, clementissime Princeps,
 Iustitiæ moto violatæ horrore, tuorum
 Ergo potes, quod velle soles; ignoscere culpis,
 Quas minuunt, latis. Ad nulla exempla trahuntur
 Vulgo, quæ statuunt pleno sub pondere Reges
 Nobilium causis. Ipso me pono reatu;
 Et pedibus me voluo tuis. Ita Nestora viuas,
 Impetui veniam, pro quanto admisisimus, oro.
 Impetret hac suadâ, molimine fortè minori,
 Regi in deliciis, vel si quis ab auribus instat.
 Membrum homicida fuit rixarum, siue vocatus
 Criminis ad partes, impunis obambulat; & se
 Casibus à triduo recidiuis strenuus offert.

Nemo

Nemo potestatem supremam Regis adumbret;
 Detrahat aut meritis, vel casus casibus æquet:
 Si tamen vt clemens oleis incendia nutrit,
 Exceditque modum, vel quouis nomine, culpæ
 In se non minimam trahit indulgentia partem.
 Humanis vacat officiis, subsistere quod nec
 Fas nec iura sinunt. Casu hoc, ignoscite, Reges,
 Si mihi subduci facies humana videtur.
 Est regio latè septem-subiecta-trioni,
 Pannoniis habitata olim, nunc Austria famæ
 Nobilis assiduis Turcarum insultibus audit.
 Hic Deus elegit quondã, ad moderamina mundi,
 Insignes pietate viros, quos nomine gentis
 Dicimus Austriacos: credunt genus ab Ioue
 summo,
 Alitis intuitu supraque infraque ministri,
 Tum quod ab æterno domus insuperabilis armis:
 Cui tutelarem se Iuppiter ampliat, audet
 Liuor vt extremis hominum se prodere metis.
 Hæc infinitis spatiis se extendit in orbem;
 Omine felici tandem, & Iunone secundã,
 Prorogat imperium in Belgas; Pulchroque PHI-
 LIPPO
 Natus ibi CAROLVS ter Maximus, os humerosque,
 Cæsariem, pectus, mores, perque omnia Belga.
 Quippe butyratis, sub mansuetudine cæli,
 Natiuo crescitque solo, rectore Adriano,
 Donec ad Hesperiaë solium properaret, opimos
 Indorumque Aquilæque Lares: nunc prædomi-
 nantur
 Austriaci Belgæ CAROLI toto orbe nepotes.
 Teutonicas Cæsar FERNANDVS seruat habenas;
 Insignire

Insignire suo, Romanis fascibus, æuo,
 Multorum inuidiâ multùm ringente, paratus
 Progeniem, & frustra tot bella ciente Sùeco.
 Hispanos rerum dominos quis nesciat inter
 Christiadum populos, & propugnacula Petri
 Solis vtraq; domo protendit sceptrâ PHILIPPVS:
 Inuictus FERDINANDVS felicibus orbis
 Auspiciis rediit fidis spes maxima Belgis,
 Nulla per immensum dominatur Principe tellus,
 Quâ non Austriacùm metuenda potentia: nullos
 Inuenias impunitos ditone sub horum
 Qui temerè extremo decertauere duello!
 Quidquid alunt animi, fidei nituntur in hostem
 Nobilitas, pulchrumq; mori pro Principe ducunt;
 Temperiem propriis, quantùm sub honore, professa
 Motibus: esse satis vim viq; repellere, certis
 Casibus, indomitâ si quis temerarius irâ
 Vellicet, incessat prior aut quis cuspide, pensant.
 Est modus in rebus: generosos cingier armis,
 Stematibus ne indigna ferant, quis nesciat? Atqui
 Ancipitis verbi suffitu, aut pellicis ergo,
 Aut quacumque leui causâ discrimine vitæ
 Ieiunum remeare odium, instigare secundos,
 Nec ratio, nec fert pietas, nec cura salutis;
 Nec reperi quo tale nefas stabuletur in antro.
 Tuq; ex aduerso rigidè quem dicere feci,
 Nobiliumq; ignobilium defensor acute,
 Parce rogo insulsis doctrinæ illudere verbis.
 Austriaco later exemplo, quodcumque Camœnis
 Pœscimus attribui generosæ flore iuuentæ.
 Inter opes tantas, & tanta negotia, nemo
 Qui Parassii aliquâ non consummatus in arte est;
 Consiliis

Consiliis adeo vt dubium an præponderet armis.
 Tránsito antiquos. Prælapsâ ætate RODOLPHVM
 Vidimus, & constat studiis sine fine moratum;
 Quasque recondiderat natura abstractior artes,
 Excoluisse virum, atque omnes superasse vocatos.
 Diceris historias legisse PHILIPPE secunde,
 Sed clausis oculis dictasse volumina REGVM:
 Lucubrare suum tibi qui quocumque dicabat
 Tempore, gratus erat, certusque à Rege videri.
 Quid tibi cum Musis Hunnorum summa Potestas?
 Diceris insomnes Heliconis vertice noctes
 A teneris traxisse tuas, omnesque vicissim
 Illice constanti ad choreas duxisse Sorores.
 Vt libros scribas, bona pars quos rideat orbis?
 Vt libros agitem, bona pars quos palleat orbis:
 Vt libros viuam, quos integer approbet orbis.
 Perge bonis auibus: post Patris sæcula Cæsar,
 Quæ superent Iulii, tua Commentaria dicta.
 Magna LADISLAO studiorum cura Polono.
 Multa fuit culto LEOPOLDI pectore Clio;
 Atque aliis, causâ vel quos breuitatis omitto,
 Temporibus patrum vel quos hoc nouimus æuo.
 Tuque, gubernandi cunis qui grandia tiro
 FERDINANDE patras, qui terror Regibus exis,
 Ferreus iniustis, sinceris corde benignus,
 Vnde tuis tam magna venit præstantia factis,
 Strenuitas animo, moderatio, gratia, virtus?
 Scilicet ingenium & rerum prudentia maior
 Præ reliquis infusa tibi? communia palpem?
 Nec volo, nec possum: quia tu, si blandiar, arguas.
 Culturæ & studiis, quidquid tua gloria, debes.
 Ad res, ad casus adhibere à Pallade doctos

Consi-

Confilioque vsuque viros & tempore firmos,
In te vera notant studiorum culmina, quæ nec
Fors neque successus sterili sibi vendicet ore.

Ite quibus titulo placet villo inscitia: cultus
Troiano descendat equo, speculaque Mineræ
Lucidâ, & intereat proprio ignorantia fumo.
Adiugilate patres, & vos sine coniuge matres;
Anchora sacra iuuat forsan: brutos remouete
Affectus: pretiosa nimis sunt prona iuuentæ
Tempora, pensandumque quibus credantur a-
lumnis.

Nescia tuque tui prima ætas roboris, acri
Cede patrum curæ: iuuenere viriliter: aude
Ardua quæ pulchra: eque Aganippes fontibus
hauri,

Queis animam serues corpusque fidele senectæ.
Mox aut certa manet te Adrastia: venerit hora,
Ridebo monitor non exauditus. Acerbo
Et vos qui Cynicos contemnitis Arcades ore,
Dogmatis opposui tabulam, quin pectore dextram
Ponite, & instinctu properantem incidite venam.

Hæc ita de primâ lege pubertate: facessit
Fastidi curæque satis. Maiora supersunt:
Si vacat, & valeo, post potum pergo Pohontem.

APPROBATIO.

Generosi & Eruditi Viri D. Petri
Scholirij Diogenes Cynicus, sine Ser-
monum familiarium Liber tertius, utiliter
lucem videbit.

Gaspar Estrix Plebanus &
Librorum Censor Antwerp.


*Cum Privilegio PHILIPPI IV. Hispa-
niarum & Indiarum Regis ad sexennium.*

Signat.

I. Cools.













Th
6025

